Julianus Antonius miseratione divina tituli sancti Bartholomei in Insula presbyter Cardinalis Discreto viro Confessori ex approbatis ab
Ordinario per Latorem presentium ad hoc eligendo Salutem in Domino. Ex parte Latoris religiosi professi nobis oblata
petitio continebat quod alias ipse antequam ad etatem legitimam pervenisset omnes sacros et presbiteratus ordines alias tamen rite suscepit et
in eis ministravit. Cum autem sicut eadem petitio subiungebat Lator prefatus nunc in etate legitima constitutus de premissis que e
occulta sunt plurimum doleat pro sue conscientie quiete cupit ab eis per sedem apostolicam absolvi secumque desuper dispensari.
Quare supplicari fecit humiliter sibi super his de opportuno remedio misericorditer provideri. Nos igitur qui Penitentiarie domini pape curam
gerimus huiusmodi supplicationibus inclinati auctoritate apostolica speciali nobis concessa Discretioni tue committimus quatenus si est ita
dictum Latorem a quibusvis sententiis censuris et penis ecclesiasticis quas propter premissa quomodolibet incurrit et excessibus huiusmodi
absolvas hac vice in forma ecclesie consueta iniuncta inde ei pro modo culpe penitentia salutari que tanto tempore duret quantum ei deerat
ad etatem legitimam cum promotus fuit et aliis que de iure fuerint iniungenda. Ipsoque ab executione suorum ordinum suspenso
donec de premissis publicatum sit cum eodem Latore penitentia vel illius parte peracta et suffragantibus sibi
dictis penitentie fructibus et meritis aliove canonico non obstante super irregularitate per eum ex premissis et quia interim
sic ligatus missas et alia divina officia non tamen in contemptum clavium celebravit quomodolibet contracta, si tibi etiam obstare
videtur in huiusmodi suspensione steterit per tempus arbitrio tuo statuendum, in suis ordinibus et in altaris ministerio ministrare
et quecumque pro ordinis officia et dignitates si ad illa canonice et in presentiarum eisdem ordinibus rite ac instituta elegatur vel
alias assumatur gerere et exercere libere et licite valeat misericorditer dispenses in foro conscientie tantum. Ita quod huiusmodi absolutio
et dispensatio Latori in foro iudiciario nullatenus suffragentur. Datum Rome apud Sanctum Petrum
sub sigillo officii Penitentiarie Idibus Julii Pontificatus domini Clementis pp. VII Anno Tertio

A. de ... Petro
Gratis ... B. Paulinus Sigillo

Merbio(?) 26 (36)
Universitäts- u. Landesbibliothek Halle/S.
Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1880629461-13/fragment/page=0001

Secolo XVI°

1594 15/VIII

Discreto viro Confessori ex approbatis ab Ordinario per Laurentium putium ad infrascripta eligendo

Nihil

F 4

Gratis vage D. Paulinus Schiller

Voti absolutio

P. Magius

Universitäts- u. Landesbibliothek Halle/S.
Morbio 26 (96)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1880629461-13/fragment/page=0002